This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HC 46.90

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

QUID AD HISTORIAM

CONFERAT

CLAUDIANUS

Facultati litterarum Parisiensi hanc thesim proponebat

HENRY CHOTARD

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS.

PARISIIS

EX TYPIS W. REMQUET ET C.IE

Via dicta Garancière, 5.

1860

hc446.90

A M. D. NISARD

DE L'ACADÉMIE FRANCAISE

Hommage de reconnaissance et de respectueux dévouement,

CHOTARD.

QUID AD HISTORIAM CONFERAT

CLAUDIANUS.

PARS PRIMA.

PROŒMIUM.

I

Claudiani vita.

Alexandriæ natus est Claudianus, in Ægypto. Sed qui fuerit natalis ejus dies, quæ parentum nomina et fortuna, non compertum. Illos quidem humanioribus litteris filium suum imbuisse, ex ipsis hujus scriptis manifestum est. Venit in Italiam Claudianus; sed qua ætate? quo anno? quam ob causam? Illa omnia prorsus ignota. Constat illum Romæ versatum fuisse A. C. 394. Priorem patro-

num habuit Probum, cujus filios, Probinum et Olybrium consules, maximis laudibus in uno ex panegyricis suis extulit, A. C. 395.

Eodem anno, post Theodosii mortem, Mediolanum petiit, in Stiliconis cohorte stipendia facturus. Usque ad quadragesimum annum a Stilicone, posteriore patrono, non abscessit; quocum etiam Romam rediit.

Redibat autem auctus conjuge : anno enim A. C. 398, Serena, Stiliconis uxore, pro eo maxime nitente, virginem jamdudum amatam, Alexandriæ in matrimonium duxerat.

Honores non illi defuerunt ; illum enim cohortis tribunum et notarium fuisse testantur marmoreæ tabulæ, in Pomponii Læti domo inventæ. Tribunitius autem gradus ei inter clarissimos locum dabat, nec senatoribus impar erat.

Ad id honorum fortunarumque Claudianum extulerunt carmina sua, quæ solertissime adhibuit ad colendos prædicandosque suos patronos ; et ii quidem pauci fuerunt, sed lecti. Post Probi amicitiam, ipso Probo adjuvante, inter Stiliconis familiares receptus est. Hunc autem potentissimum amicum maximis semper laudibus ornat, nec uxorem, nec filium, nec filias oblitus; quum enim incidit in imperatoris panegyricum, multo brevior est in celebrando generi consulatu quam in jactandis soceri triumphis variisque virtutibus. Neque negaverim eum aliquot carmina in honorem con-

sulis Flavii Mallii Theodori scripsisse, et Gennabii aucupatum esse gratiam : sed quatuor his exceptis, non alium invenias, cujus ex favore et cura dignitatem sibi et splendorem petierit. Multas laudes, sed paucis, dedit, mira arte præditus, quæ ei non sine præmio fuit ; nempe pauci illi patroni, quorum benevolentia modestius utebatur, poetæ suo nunquam defuerunt.

Nullos habuit inimicos poeta tam cautus, præter unum, prætorii præfectum, Adrianum, quem in carmine, quo ejus animum flectere conatur, ipse nominat.

Post Stiliconis mortem, id est, post annum 408, nihil de Claudiano notum habemus, et quum nihil amplius poeta scripserit, illum sane patrono suo superstitem non fuisse credendum.

II

Claudiani opera.

Claudiani operum duplex et diversum genus : altera et minora quidem numero (inter quæ occurrit optimum ejus et præcipuum opus, *Proserpinæ Raptus*), tantummodo ad poesim pertinent ; altera

autem, fere tota, ut ita dicam, sibi vindicat historia. Quæ quidem aut panegyrici aut satiræ sunt. Laudat enim Stiliconem Claudianus, non modo dum virtutes ejus et fortitudinem prædicat, sed etiam dum æmulos Stiliconis et inimicos, Rufinum et Eutropium, meritis quidem, sed acerbis contumeliis persequitur.

Panegyricorum argumenta sunt tertius, quartus sextusque Honorii consulatus; præterea Gildonicum bellum, et Probini Olybriique, Probi filiorum, et Flavii Mallii Theodori consulatus: quibus addenda etiam de Stiliconis laudibus et de bello Getico carmina.

Satiras inter annumerandi sunt libri in Rufinum et in Eutropium scripti.

III

Thesis argumentum.

Seu res Honorii et Stiliconis tractat Claudianus, seu de Arcadio Arcadiique ministris scribit, id unum semper studere videtur, ut Occidentem laudet, et Orientem deprimat; nec aliud ei præbuisse historiam dicas quam celebrandæ Romæ et

Constantinopolis contumeliis lacessendæ materiam. Non autem dicemus eum in laudando et in castigando, patronorum causa, ita res gestas immutavisse, ut nulla ei fides adhibenda sit. Imo vero in multis carminum locis, vel ex verbis obsequiosi adulatoris clientisque demissi, quale fuerit verum, licet deprehendere; ei enim magis nota erat Roma quam ut, quæ intus agerentur, non diceret tanquam invitus. Præterea, quanquam caute illo utendum est, adeo jejuna sunt quæ de primis Honorii Arcadiique temporibus tradiderunt scriptores, principibus illis aut æquales aut pene æquales, ut sæpissime ad Claudianum, tanquam ad fontem uberrimum, confugere necesse sit. Ex solis enim hujus carminibus tibi repræsentare possis aliquam Romæ et Constantinopolis effigiem : ex iis tantum possis intelligere quæ infirma, quæ valida habuerit ea ætate Constantinopolis, tot etiam secula adversus barbarorum conatus restitura; et præcipue qualis, extremis quarti primisque quinti P. C. seculi annis, fuerit Roma, tot malis affecta ruinæque proxima, specie tamen et habitu etiam tum magna et potens, ita ut Stiliconis laudibus aliqua materia fuerit, ejusque mentem splendida illa, quamvis caduca, magnitudo facile potuerit capere.

IV

Scriptores de Claudiani temporibus.

Nulla est incertior quam primorum christianæ ætatis seculorum historia. Quanquam enim non desunt scriptores rebus æquales, aut recentiores, variis causis efficitur, ut omnes multis in partibus deficiant. Illorum autem studium etiamque fides multum in dubio sunt, et adeo non alii alios explent, ut contra inter se graviter soleant dissentire.

Si enim de eadem re paganum scriptorem, ac deinde christianum interrogaveris, quam dissimiles eos invenies! Uter autem vera dixit? Miramur quam æquo animo res inter se contrarias apud varios auctores inventas referat *Lenain de Tillemont*, de quibus operam aliis dat ut judicent, ipse historiæ materiam, non historiam sufficiens.

Nos autem qui non scribimus historiam, sed de extremis quarti seculi et de primis quinti seculi annis verum quærimus, quo pacto suscepta perficiemus?

De Claudiani temporibus, brevibus quidem, non

multa sunt quæ inter se pugnant. Id unum præcipuum, et ad totam ætatem pertinens, nempe christianos, infirmitate rerum imperiique cladibus territos, desperare videri, dum paganis multa spes superest.

Sed propterea maxime scriptores Claudiano æquales arguendi sunt, quod multa in eis adeo deficiunt, ut res illis temporibus gestas optime omnium retulerit poeta.

Inter paganos, de Arcadio et Honorio, Theodosii filiis, scripsit Zosimus, et eo tenore ut nullus non christianus illi sit impar, quanquam varia ex variis excerpserit. Nisi tamen de antiquis diis eorumque potentia stupenda narraret, satis diligens et sedulus videretur. Rebus autem narratis non movetur ejus animus. Quid ad illum Orientis clades? Armis Alarici vastatæ Græciæ urbes ruerunt : non vero miseratione tangitur Zosimus; Italiam populatæ sunt gentes, quas tamdiu Romani devicerant : parum curat comes et fisci advocatus; defensus altis mœnibus, nihil timet. Visigothi enim ad Constantinopolim accesserant, sed cautiores quam ut eam obsiderent. Stiliconem vero nec amat, nec magnifacit Zosimus, quanquam ille opus a magno Theodosio inceptum tam digne persequatur; eum sane Rufino, Gaina et Eutropio superiorem fatetur; viri autem nece minime movetur : ne uno quidem verbo interemptores ejus, Honorium atque Olympium, notat et damnat. Ideo solum

utilis est Zosimus, quod tenore quodam Theodosii filiorum annales scripsit (1).

Zosimo opponendus est alius auctor, brevitate insignis, christianus Zonara, qui, Constantinopoli jampridem in exitium prona, vixit, imperiique res usque ad Alexim Comnenem persecutus est. Cursu celeriore raptus, pagina vix una totum Honorii regnum complectitur, omniaque ita mutat, ut res eum omnino fallere videantur. Qua de gente ortus fuerit Alaricus; utrum sit Vandalorum dux, an Gothorum, nescit. Quum autem ad maritimos Ravennæ lacus aufugit Honorius, auctore Zonara, non Visigothos quidem formidavit, sed Romam. Illius igitur scripta non quidquam conferunt historiæ (2).

Socrates et Sozomenes, Græci ambo, Ecclesiæ historiam scripserunt, nec aliud respexerunt quam ipsam Ecclesiam. Barbarorum adventantium fragorem, quo imperium Romanum circumsonat, non audiunt; nec attingunt historiam, nisi quum ad ipsas Ecclesiæ res pertinet. Socrates quidem, quæ Arcadio et Honorio fuerint regnandi initia, paucis narrat; multus autem est in recensendis eximiis illius ætatis episcopis. Eodem modo Rufinum a militibus interfectum refert : quis autem sit iste Rufinus, quam ob causam occisus, parum curat,

(1) Lib. V, p. 86. Basileæ, 1576.
(2) T. 3, p. 33. Basileæ, 1557.

integro idem libri capite episcopi cujusdam mortem successorisque Joannis ordinationem narraturus (1).

Non alia, nec aliter scribit Sozomenes, qui, Socrate recentior, ejus tantummodo vestigia sequitur. Dicturus enim de Stilicone, eum militum animos sibi firmissime devinxisse testatur : « Occidentem in Orientem impulit Stilico, nihil aliud quærens, quam ut imperatorem et imperium regeret. Copias in Epirum duxit; eum Honorii epistola revocavit.... » Quam brevis est! Quantos in errores incidit! Potior sane Zosimus. Ecclesiam solam curat Sozomenes; nempe duas Innocentis Papæ epistolas, alteram ad Joannem Chrysostomum, alteram ad Constantinopolis clericos, non omisso uno verbo, perscribit (2).

Non eamdem viam ingressus est alius ecclesiasticus auctor, Latinus quidem, Paulus Orosius, cujus historia, ipsum orbis principium repetens, et a divo Augustino laudata, magna sibi proposuisse videtur. Deum enim ipsum nostris oculis objicit, cujus nutu omnia impelluntur, cujus gloriam testantur imperia et aucta et præcipitata. Nec aliud in narranda historia spectavit noster Bossuetius. Sed quam distat a novissimo illo Ecclesiæ Patre divi Augustini discipulus! Dum enim pluribus verbis

(1) Lib. VI, c. 2 et 3. Cantabrigiæ, 1720.
(2) Lib. VIII, c. 25 et 28. Cantabrigiæ, 1720.

Theodosii visa narrat, obiter attingit incursus per Italiam barbarorum ; imo, ut ipse ait, de iis tacet. Num enim de Stilicone loqui fas sit, qui, Paschali die, oblatam victoriam arrepturus, cum Visigothis manus conseruit? Maximum in errorem lapsus, dicit ducem esse Gothorum Rhadagasium, quem Romam usque pergentem facit. Ergo nescit Rhadagasium Etruriam attigisse, nec ultra processisse; ita ut manifestum sit eum Alarici res tribuisse Rhadagasio (1).

Manu etiam versamus Jornandem, quæ et qualia inventuri! Nempe ille vix una pagina de Arcadio et Honorio meminit.

Sunt tamen viri, Claudiano æquales, qui suæ ætatis mala perspexerunt, et, tot adversis rebus moti, egregii et pene divini animi affectus facundissime et vividissime effuderunt. Divum Ambrosium, divum Hieronymum, divum Augustinum dico. Forsan quidem ii miserias, quibus laborabat imperium, justas tot scelerum flagitiorumque pœnas judicantes, res in pejus interpretati sunt, et mœstis descriptionibus nimium indulserunt. Barbaros enim tanquam arma Dei ultoris habent; Romam autem incensam, fere solo æquatam, civium cruore pollutam, Neronis et Domitiani portentosa facinora merito luere affirmant.

Divus Ambrosius anno 397 interiit; ille igitur

(1) Lib. VII, c. 25, 26, 27. Lugduni Batavorum, 1738.

non ultra secundum regnantis Honorii annum vixit. Cum Theodosio autem multum versatus est, eumdemque eximium Ecclesiæ dilexit tutorem, quem facundis et exquisitis laudibus ornavit ; sed in funebri oratione, ut in epistolis (1), solum Dei sanctæque Ecclesiæ spiritu abripitur. Imperatori pro pace fidelibus tributa grates persolvit, eique dat laudi adhibitam in Arianos severitatem. Controversias, quibus Ecclesia turbatur, et admixta eis tot imperii ipsius mala deflet.

Recentior est divus Hieronymus; non autem Italiam a barbaris vastatam et Romam a victore fero violatam et dirutam est contemplatus. Illam enim orbis dominam, « nunc multum dejectam, » fugiens, in Bethlemæ solitudines recesserat. Sed tanto fragore cecidit Roma, ut ad eam ipsam solitudinem pervenerit ejus ruinæ sonus. Pallidi senatores, cæde et flammis erepti, ad venerandum virum confugerunt ; jamque in deserto audita fuit magna vox, quæ Romam, ut olim Hierosolymam Jeremias propheta, lugens, mœsta lamentabatur : « Terribilis « de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, « et auro salutem civium redimi ; spoliatosque rur- « sum circumdari.... Hæret vox, et singultus in- « tercipiunt verba dictantis. Capitur urbs quæ « totum cepit orbem : imo fame perit antequam

(1) P. 1196. *Epist.* 12, 20, p. 842, 852, Paris, 1690, édition des Bénédictins de Saint-Maur, t. II.

« gladio, et vix pauci qui caperentur inventi « sunt.... *Deus, venerunt gentes in hæreditatem « tuam, polluerunt templum sanctum tuum.... Ef- « fuderunt sanguinem eorum sicut aquam in cir- « cuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret* (1). »

Anno 429 divus Augustinus occidit in mœnibus Hipponæ a Genserico et Vandalorum armis cinctæ; imperio igitur inclinanti jam et ruenti testis adfuit. Nempe jam ab imperio avulsa fuerat Gallia, exceptis inter Sequanam et Ligerim regionibus, excepta antiqua provincia Romana; ipsi autem harum provinciarum præfecti, instantibus barbaris, nec quidquam auxilii mittentibus ignavis principibus, ad id inviti venerant, ut fierent sui juris. Rex est Aetius, ut scribunt chronici libri; et ille Galliam ab Attilæ manibus eripiet, non Valentiniani armis nixus, sed Francorum, qui usque ad Somonam etiamque ad Sequanam progressi erant; Burgundorum, qui inter Jurassum Ararimque et Rhodanum consederant; ac Visigothorum, qui Pyrenæos montes, Galliam meridianam et septentrionalem Hispaniam occupaverant.

Antequam autem Visigothi Hispaniam invasissent, jam imperio detracta fuerat illa regio; eam enim prædam habuerant Alani, Suevi et Vandali ipsi, qui in Africam a rectore Bonifacio, propter

(1) *Epist.* 96, p. 783, *ad Principiam virginem.* Paris, 1706, édition des Bénédictins de Saint-Maur, t. IV.

Aetii invidiam, vocati, ultimas Hipponensis episcopi dies turbaverant. Etiam tum libera Italia, libera Roma, sed ambæ toties barbarorum armis et flamma vastatæ, omni dedecore pollutæ jacent.

Quoties tantarum miseriarum fama Africam intrat, stupet audiens divus Augustinus, nec auditis satis confidit; quum autem ea vera tandem comperit, quanquam mœstus gravissimisque pœnis exterritus, tamen, ut divus Ambrosius, barbaros a Deo missos judicat.

Quid mirum, quum ipsi barbari se divina quædam mandata exsequi credant? Quando enim Alaricus, Romam præcipiti impetu tertium petens, gentem suam ad bellum impellit : « Quis, inquit, me agat, nescio; sed necesse est ut eam. » Nec dissimilis paucis post annis sermo Vandali Genserici; mari enim Mediterraneo navibus constrato, Vandalos et Mauriscos ad vastanda Italiæ littora ducturus, Punici restitutor imperii hæc dicit gubernatori : « Da velum ventis, et sine illis nos ferri; impellentur naves ad terras, in quibus homines sunt castigandi : sic placuit Deo. »

Multa igitur in Ecclesiæ Patrum libris occurrunt egregia, quæ historiæ omittenda non sunt; multum autem abest ut illi omnia retulerint; et quæ retulerunt, quum semper Deum respiciant, aut amplificant, aut minuunt. Non jejuni sunt et exsangues, ut Zosimus et cæteri; sed revera non tantis malis laboravit Roma, quanta memorant; imo sæpius

quibus Ecclesia cladibus afficitur, iis imperium ipsum affici credunt. Eadem enim iracundia Arianos et Gothos, Donatistas et Vandalos persequuntur. Illos igitur divino Spiritu impulsos admiremur et veneremur; ab illis tamen illorumque scriptis caveamus.

V

Quid historiæ conferant Claudiani scripta.

Ex rebus antea dictis concludendum nos, postquam evolvimus exilia Zosimi excerpta, brevem et incertam Zonaræ narrationem, breviora forsan Socratis, Sozomenis et Pauli Orosii opera, in quibus historia rerum civilium ecclesiasticæ historiæ causa negligitur; postquam perlegimus acerrima convicia quæ in tantas Romæ calamitates epistolis, sermonibus et dissertationibus divus Ambrosius, divus Hieronymus et divus Augustinus jactaverunt, luctuosam illam ætatem, qua jam prope exacta concidit Romanum imperium, non penitus nosse. Quum imminet tanta ruina, quum gentes barbaræ ripas Rheni et Danubii tenent, et jam Danubium non una ex parte transierunt, quærendum est num tanta sit, quanta videtur apud

Zosimum, Zonaram, Socratem, Sozomenem et Paulum Orosium, historiæ jejunitas. Quum enim Roma agitur, Roma orbis antiqui dominatrix, cujus imperium totas terras ab Oceano ad Indum, a Rheno ad solitudines Africæ complexum fuerat, dubitare licet num tantum de sua dignitate sibi detractum viderit, num tam turpiter ceciderit.

Multum distat ab illis scriptoribus poeta, qui Romæ triumphos, victis barbaris, cecinit, qui Romam effinxit, firmam etiam tunc et potentem, ante ducis triumphalem currum magnas opes, toto ex orbe partas, gestantem.

Quod si qui dixerint Claudianum poetam esse, nullane poetæ adhibenda est fides? Quod ad nos attinet, non omnino mendaces judicabimus versus, quibus prædicatur urbs illa, quæ, quanquam peritura, cum barbaris tamen fortiter congreditur, et tum quoque illos vincit. Quia majorem forsan Romam effingit poeta, non ideo constat parvam illam esse et omnino debilem.

Cæterum jamdudum ad Claudiani carmina historica doctissimi viri mentem adverterant. Ecclesiasticorum annalium egregius auctor, Baronius inde multa arripuit. Claudiani enim testimonio fretus, Rufinum, perfidum ministrum, propter Græciam barbaris apertam graviter accusat. Magnam ei etiam in aliis rebus auctoritatem tribuit, et poetam historico Zosimo opponens, multa hujus falsa et incerta et fide indigna refellit. Si enim Zo-

simo credas, Minerva in Athenarum muris, eas servatura, apparuerat; ipse visus fuerat Achilles, non mutatus ab illo Achille quem ante Scæas portas Homerus depinxerat. Sequitur etiam Claudianum Baronius, dum narrat Gildonicum bellum, et Stiliconis consulatum, victosque barbaros, Italiamque servatam.

Non minora Claudiano tribuemus quam Baronius, ecclesiasticus auctor, qui adeo non poetæ pagani fidem rejecit, ut ex ejus libris sibi optima vindicaverit. Imo plura sane sibi vindicasset, nisi Patrum exemplo, Ecclesiæ gloriam in scribendo sibi proponens, potius cladibus Romæ attendisset quam triumphis; nisi Romæ infirmitatem potius quam superstitem magnitudinem perspexisset. Audiatur enim ille, quum Claudiani carminibus ad refellendum Zosimum usus, vastatam a Gothis Græciam refert: « Vides, lector, Dei consilium tradentis Græ- « cias Gothis, nimirum ut sacrorum cultores et « cultum, tot legibus frustra coercitos, iidem pe- « nitus abolerent (1). »

Non ita scribenda est historia; veram dico, et a studio partium alienam. Baronius nobis opem tulit ad probandum quam utilis esse possit Claudianus. Poeta autem noster, nisi fallimur, multo majorem historiæ operam tribuere potest; ille nobis depicturus est Romam, qualis erat incipiente seculo

(1) Baronius, 1602. — Antuerpiæ, t. V, p. 8.

quinto ; nec dubitamus quin eam nobis vera sub imagine repræsentet.

Si, ad tuendum Claudianum non sufficeret Baronii auctoritas, ad doctissimum sane rerum scriptorem confugeremus, Gibbonem, qui affirmat quidem non omni ex parte adhibendam esse fidem poetæ, « servili Stiliconis adulatori, et poetarum aulicorumque licentia large abuso (1); » sed profitetur tamen se satiras et panegyricos ejus in narrandis Honorii temporibus multum adhibuisse, quum certa monumenta maxime deficiant.

Totum igitur Claudianum apud Gibbonem reperias. Illum enim quamvis insectetur, auctorem tamen in bello contra Gildonem et contra Gothos sequitur, vestigiis etiam illius insistens, seu Rufini Eutropiique flagitia narrat, seu Stiliconem laudibus cumulat, quem alterum Theodosium, altissimique ingenii virum, et fere antiquis heroibus parem exstitisse affirmat. « Illi enim contigisse scribit, vergentibus jam ad finem ingenuis artibus, divinum illud virtutis præmium, Achilli datum, et ab Alexandro frustra optatum, poetam scilicet factis heroum celebrandis non imparem (2). »

Non immerito certe dicatur nos a Gibbone ipso primum hujus opusculi scribendi consilium sumpsisse.

(1) Edit. Buchon. Paris, 1837, p. 697.

(2) *Ibid.*, p. 694.

VI

Quomodo utendum Claudiano.

Non tamen nisi quædam cavendo, Claudianum adhibebo. Quum enim poeta sit, ideo non constanter vero inserviit. Præterea poesis, nullo tempore, nulla in re, historiæ vicem agere potest; imo vero, incipit poesis ubi historia desinit. Magno aliquo eventu, atque etiam aliquando magna ætate, canendi occasio poetæ præbetur; ille permultas res colligit, non ut eas, quales fuerunt, omnino narret, sed exornando et augendo, et in melius mutando, eas quodam modo creet; ad id spectat, ut nos capiat et delectet, potius quam doceat. Qui autem inter poetas rerum fidem diligentissime servavit, Lucanus, ille vix epicis poetis adscribendus est.

Claudianus autem non poeta tantummodo, sed etiam gratiosus apud principem. Adeo non canendi materiam ultro eligit, ut ea contra ab aliis ipsi proponatur. Principe vel patrono auctore versus facit; et quicumque sit vel dies, vel locus, ubi jussus est, jussa nihil moratur. Utrum autem res magna sit an parva, laude an reprehensione digna, parum refert. Non negamus istam poesim parum

firmo niti fundamento, similem sane cuidam ædificio surgenti magnas inter tabulationes, splendidissimis ornamentis opertas, quibus ædes ipsæ sustinentur simulque decorantur. Cunctis autem poetis non eadem contingunt quæ Claudiano, ut magnas pugnas habeant narrandas magnosque viros laudibus prædicandos. Noster certe materiam gravissimam dignamque carmine tractandam suscipiebat.

Unum autem difficillimum Claudiano occurrebat, quod essent duo domini, Stilico et imperator. Non enim ita prior laudandus erat, ut laus posteriori negaretur; nec Stiliconem quidem laudare arduum erat; Honorii autem prædicatione nihil difficilius. Necesse enim erat ut supra tutorem, ministrum et ducem collocaretur imperator, qui quidem nihil agebat, dum cuncta ageret tutor, minister, dux, Stilico. Honorius, etiam tunc puer, nihil aliud nisi imperatorium nomen habebat, sed tantum erat illud nomen, ut illi tribuendi essent maximi honores. Ex istis tanquam angustiis semper felix Claudianus evasit; imperator autem, laudibus oblatis contentus, nihil invidit duci, cui ipsi Claudianus satisfecerat, ita ut poetæ per eximiam artem integer usque favor manserit, veritas sola sæpius laboraverit.

Non omittendum quoque Claudiani carmina ideo fuisse composita, ut palam recitarentur. Quæ quidem recitationes in primo ac secundo post

Christum seculo splendidissimæ, Claudiani etiam ætate celeberrimæ erant. Hic aderant auditores lecti, quibus satisfacere eo difficilius erat, quo, jampridem republica exclusi, litteris studiosius indulgebant. Non jam in curiam conveniebant senatores, quos nunquam consulebant magistratus, solitique in villis vivere, Romam non se conferebant, nisi carmina audituri. Imo ipse imperator uni recitationi interfuit: quam vero fastidiosæ juvenis Honorii aures fuisse videntur!

Cui igitur conferemus Claudianum, nisi Proteo, a quo, nisi catenis vincto, verum extorquere non possis?

Hoc etiam addendum, quod pro Claudiano est: sæpius obliviscimur quo tempore scripserit. Musas græcas, ut ipse dicit, musis latinis commutavit post Theodosii triumphos et imperii instaurationem, id est, anno 395. Post annum autem 403 nihil cecinit; quem quidem ante annum Alaricus jam in Italiam impetum fecerat, sed victus fuerat, et post triumphantis currum capti incesserant barbari. Septem vero anni elabentur, antequam capiat Romam Alaricus (410). Victricem igitur urbem ante oculos habet Claudianus. Nos autem ab illa ætate tam distantes, tempora miscemus, et illis præconiis victricibusque carminibus, quum urbs mox peritura sit, facile fidem denegamus.

Utrum autem Claudianus culpandus sit, an nosmetipsi, quærendum.

PARS SECUNDA.

ROMA.

I

Urbs Roma.

Manifestum quidem est Claudianum historia justa et plena ultimos quarti seculi et primos quinti seculi annos non attigisse; sed pluribus in locis res Romæ (quam semper, etsi ad Constantinopolim ejusque ministros duo ipsius carmina spectent, fere unam intuetur), atque etiam occidentalis imperii apertius narravit.

Ut ab urbe Roma ordiamur, eam talem effingit Claudianus, qualem nullus alius descripsit. Etenim frustra quemlibet hujus ætatis scriptorem

interroges quæ tum fuerit urbs, imperii caput.

Quum illa jampridem a barbaris oppressa fuerit, etiamque nunc tanto ejus casu moveamur, nos forsan non judicemus eam vera sub imagine expressam fuisse a poeta, maximam quidem et pulcherrimam, et divitiarum, artium litterarumque splendore decoratam; forsan credamus superfuisse tantummodo in ea aliquas priscæ magnitudinis reliquias, nec quidquam, nisi prostratas statuas, eversas domos dirutaque templa occurrisse.

Quapropter nos imparatos offendit Claudiani summa admiratio, et omnia prædicanti non satis confidimus, quippe qui nullo genere laudis abstineat. Ergo ab ejus descriptionibus cavemus, et quosdam alios scriptores quærimus, quorum auxilio fisi, quid in poeta verum, quid falsum sit possimus explorare. Sed nullus eorum urbem Romam attigit, nec ipse Zosimus, quamvis ille, ut diximus, cum tenore quodam senescentis imperii Romani res narraverit.

Quantum autem Romam dilexerit Claudianus, facillime intelligitur. Primos in Romæ honorem versus composuit; eamque, quum Probini et Olybrii consulatum celebrat, more antiquæ Deæ repræsentat. Hæc est Minerva, armis induta, ad cœlum assurgens, et domitas terras supereminens.

Miscetur decori virtus, pulcherque severo
Armatur terrore pudor, galeæque minaci
Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum,

Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte (1).

Roma illa, quam poeta cum Minerva confert, etiam tum est urbs Romulea ;

Septemque una sibi muro circumdedit arces,

ut ait Virgilius ; nec aliter conspexit barbaros, quam captos et vinctos.

. . . . Salutato Tibride lymphis
Excipiunt arcus, operosaque semita vastis
Molibus, et quidquid tantæ præmittitur urbi (2).

Si autem ejus mœnia intraveris, obversabitur oculis tuis majus aliquod spectaculum :

Attollens apicem subjectis regia rostris,
Tot circum delubra videt, tantisque Deorum
Cingitur excubiis ! juvat infra tecta Tonantis
Cernere Tarpeia pendentes rupe gigantas,
Cælatasque fores, mediisque volantia signa
Nubibus, et densum stipantibus æthera templis,
Æraque vestitis numerosa puppe columnis
Consita, subnixasque jugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu ; spoliisque micantes
Innumeros arcus : acies stupet igne metalli,
Et circumfuso trepidans obtunditur auro (3).

Quæ vero magnificis illis carminibus adhibenda fides ? Quid judicandum de illa Roma, quam tan-

(1) *In Probini et Olybrii consulatum*, v. 90.
(2) *De sexto consulatu Honorii Augusti*, v. 520.
(3) *De sexto consulatu Honorii Augusti*, v. 42.

tam et tam splendidam Claudianus depingit? Ipse autem iis quæ contradici possint ultro occurrit, multaque in ejus carminibus invenias, in quibus non lætiorem nec potentiorem Romam expressit. Namque de novis mœnibus quæ, imminentibus Getis, nuper exstructa fuerunt, et quibus Romæ species pulchrior est, dicit :

> Profecitque opifex decori timor.... (1).

Claudianus, qui nuper Minervæ Romam comparabat, nunc nova utitur figura, a priore multum diversa :

> Exitii jam Roma timens, et fessa negatis
> Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi,
> Non solito vultu, non qualis jura Britannis
> Dividit, aut trepidos submittit fascibus Indos :
> Vox tenuis, tardique gradus, oculique latentes
> Interius : sedere genæ, jejuna lacertos
> Exedit macies; humeris vix sustinet ægris
> Squalentem clypeum; laxata casside prodit
> Canitiem, plenamque trahit rubiginis hastam (2).

Dum in se redit Claudianus suaque vestigia recolligit, illos sane multum juvat, quibus carmina ejus maxime suspecta sunt. Sed in hoc ipso regressu non est modus, non sunt certi fines. Versus enim fecit poeta, populi cibo frumentoque

(1) *De sexto consulatu Honorii Augusti*, v. 531.
(2) *De Bello Gildonico*, v. 17.

egentis miseriis motus; imo mala forsan in majus auxit, ut Stiliconi annonam reddenti laudes ampliores tribueret.

Ut autem vera dicamus, urbis splendorem in majus non extulit poeta. Non eadem est tunc sane Roma quæ fuerat principe Augusto; sed quanquam a se ipsa multum distat; quanquam ab imperatoribus, qui abhinc centum annis ad Bosphorum rerum sedem posuerunt, deserta fuit, nec jam est præcipuum orbis caput; quanquam illi propriis opibus Constantinopolim exornant, et Romam spoliant eximiis Græcorum operibus, signis excellentissimis, inter quæ occurrunt Corinthini equi a Mummio, stolido illo artis et materiæ judice, allati, magna tamen et pulchra etiam tunc est Roma; nec respuendæ sunt poetæ laudes, quæ firmis nituntur testimoniis.

Cardinalis enim Angelus Maius Romæ descriptionem quamdam invenit anno 540 scriptam. Auctor, nomine Zaccharia, his verbis incipit: « Hæc est brevis historia rerum urbis Romæ decore « insignium. Deliciæ et commoditates mirandæ « sunt, quales tantæ urbi decent. Imprimis si in- « spiciamus ornamentorum splendorem, nec dico « domuum interiora ornamenta, ut atriorum co- « lumnas altas et elegantes, numerantur 384 viæ « largæ et spatiosæ; duo Capitolia; 80 statuæ deo- « rum magnæ et auratæ et 66 statuæ eburneæ; « 46,603 domus; 17,097 palatia; 13,052 fontes;

« 3,785 imperatorum statuæ æreæ aliorumque du-
« cum ; 22 equi magni et ærei ; duo colossi ; duæ
« columnæ in spiram convolutæ (quæ sunt Trajana
« et Antonina) ; 31 theatra et 11 amphitheatra
« (non tot e veterum testimonio cognoscimus) ;
« 9,026 balnea ; 274 pistores ; etc..... et 2,091 car-
« ceres (1). »

Descriptio illa orbis capite non indigna est ; ac primo quidem aspectu credamus illam ad ætatem Augusti spectare. Attamen Zacchariá centum et triginta annis post Claudianum scripsit ; et per illos centum et triginta annos Italiam et Romam vexaverunt Gothi et Vandali ; venit ipse Attila, et ante muros stetit. Herulus Odoacer ultimum imperatorem, puerum maximorum nominum onere gravatum, Romulum Augustulum regno detrusit. Odoacrum detrusit Theodoricus, et Ostrogothos in Capitolium immisit.

Non immerito igitur Romam a barbaris nondum vastatam, Romam integram et intemeratam, laudat et admiratur Claudianus.

Aliud autem magnitudinis superstitis testimonium affert Claudianus. Nempe circi ludos ludorumque splendorem sæpius celebrat, quam ut carminibus fides non adhibeatur. Fatemur quidem illos

(1) Zachariæ opus ipsum non habuimus, sed tantummodo gallicam translationem ; versio igitur latina est nostra. Servavimus gallicas arithmeticas notas, ut clariores simus.

circenses ludos, in quibus, seu gladiatorum armis, seu ferarum dentibus, humanus cruor tam large profluit, portentosam magnitudinem testari; nec exsecrandæ sane illi magnitudini nos invidemus; eam tamen negare non licet. Si quis enim arenam intravisset, et gradus tot millibus spectatorum refertos contemplatus fuisset, audivissetque clamores populi gaudentis vel irascentis, dum leo fremeret, vel Thrax moreretur, ille degenerem gentem sane, sed maximam urbem agnovisset et opulentissimam.

Ubi autem magnorum illorum certaminum finis adfuerat, mox videre erat, superfusis arenæ undis, rapidas naves in subito mari confligere, et immissos fluctus sub remigibus spumare.

Deinde e circo in theatrum ibatur:

Nec molles egeant nota dulcedine ludi;
Qui lætis risum salibus movisse facetus,
Qui nutu manibusque loquax; cui tibia flatu,
Cui plectro pulsanda chelys, qui pulpita socco
Personat, aut alto graditur majore cothurno.
. . . . . .
Vel qui more avium sese jaculantur in auras,
Corporaque ædificant celeri crescentia nexu;
Quorum compositam puer amentatus in arcem
Emicet, et, vinctus plantæ vel cruribus hærens,
Pendula librato figat vestigia saltu.
Mobile ponderibus descendat pegma reductis,
Inque chori speciem spargentes ardua flammas
Scena rotat: varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus, pictæque citato

Ludant igne trabes, et non permissa morari
Fida per innocuas errent incendia turres (1).

Sine dubio illi festi dies a populo senescente aguntur; sed non nisi in magna et opulenta urbe, quæ divitiis et hominibus abundat, quæ tranquilla exitium imminens quidem nondum timet, agi potuerunt. Per vias ad circum et ad theatrum turba ruit frequens et densa; intra illos muros nuper magnis impensis restitutos, in magnificentissimis ædibus, cuncta splendida, alente intus magno spiritu, apparent. Hæc est urbs, quæ tamdiu orbem rexit, etiam tum gentium regina et dominatrix.

II

Imperium.

Roma et imperium diu altera ab altero fuerant distincta. Roma enim in memoriam revocat illud immensum municipium, cujus cives se solos, exclusis omnibus aliis, Romanos profitebantur. Quam parce hominibus extra urbis muros natis amplissimum illud civitatis jus dabatur! Quin etiam Latinus vir, vel Italicus, vel provincialis, illo jure

(1) *In Flavii Mallii Theodori consulatum*, v. 311.

concesso, jam non civis urbis erat, in qua natus. Magnæ illius particeps fiebat civitatis, et augustæ, et immunis, in qua residebat potentia omnis, quæ totum pene orbem imperio suo regebat. Roma se a mœnibus suis ad terras domandas esse profectam nunquam oblita est; victas gentes semper a se arcuit, variis *formulis* tantummodo distinctas. Quos ad se vocavit e victis, a cæteris et nomine et jure segregavit. Stat Roma ut celsa arbor, quæ robustos ramos late protendit, ita ut truncus ramique inumbratam terram supereminеant.

Hoc magnum in Cæsaris mentem venerat, hoc humanum potius quam Romanum, ut tandem misceretur cum imperio Roma; quod quidem propositum exsecutus est princeps, insania notus et crudelitate, Caligula; eumque ideo laudavit versibus Rutilius Numatianus:

Gentem fecisti diversis gentibus unam;
Urbem fecisti, quæ prius orbis erat.

Ea tamen consociatio tam tarda fuit, ut vix fuerit notata; jam enim eo tempore in excidium prona sunt et Roma et imperium.

Cæterum si Romam ab imperio non diviserimus, certe proprium Claudiani consilium tuebimur. Quoties enim poeta, de Roma agens, non urbem tantummodo, id est, ut ita dicam, lapides et muros, intuetur, ante oculos ejus stat Roma et ipsum im-

perium; nempe sub nomine Romæ provinciæ, magistratus comprehenduntur, denique, quæcunque supersunt ex ingenti illa rerum ratione, qua Romani orbem debellatum quasi complexi erant.

Romanæ igitur potentiæ magnificam imaginem effinxit Claudianus. Hoc est imperium per tot bella partum; hi sunt Romani, « qui cuncta diu rexere. » Cernere est multos populos leges et pacem implorantes, Germanos et Caucos abjectos, flavosque Suevos. His reges tribuuntur; cum illis, obsidibus indictis, fœdera sanciuntur; alii flagitant ipsi ut in legiones admittantur:

> Militet ut nostris detonsa Sicambria signis (1).

Domito Saxone Tethys est

> Mitior, aut fracto secura Britannia Picto (2).

Fracti sunt Franci, Rhenusque submissus imperatorem *Germanicum* salutavit. Eodem tempore non pugnatur in Asia, non in Africa; pacati sunt Eoi Libycique populi;

> . . . . nullus Boreæ metus, omnis et Austri
> Ora silet; cecidit Maurus, Germania cessit,
> Et Fanum pax alta ligat (3);

« solo terrore » fines proteguntur.

(1) *In Eutropium*, lib. I, v. 383.
(2) *In Eutropium*, lib. I, v. 393.
(3) *De Laudibus Stiliconis*, lib. II, v. 285.

Multi ante Romanam potentiam inclaruerant populi, qui magna ruina ceciderunt :

> Sic male sublimes fregit Spartanus Athenas ;
> Atque idem Thebis cecidit ; sic Medus ademit
> Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses :
> Subjecit Macedo Persen, cessurus et ipse
> Romanis.... (1).

Roma sola imperium servavit nunquam peritura.

Quæ quidem omnia eo majoris momenti sunt, quod de imperii his temporibus statu scriptores omnino silent ; illud autem paganorum et christianorum silentium multos inter recentiores movit ; iique rogitaverunt num inter poeticas fallacias dignosci possit vera imperii, ea ætate, amplitudo, quæ autem fides adhibenda sit iis quæ a poeta solum afferuntur? Legem vero invenimus, anno 399 promulgatam, qua certum habemus Germanos, Suevos et Sicambros Romam venisse, ut pacem et agros impetrarent ; quæ lex cum versibus poetæ congruit.

Præterea non obliviscendum qua ætate scripserit Claudianus ; ideoque ille non est ab ea ætate separandus. Nempe vidit imperium a Theodosio instauratum, barbaros victos et ad imperii fines propulsos. Qui quidem non trans Danubium rejecti, sed ad ipsam fluvii ripam compulsi, in extrema Thracia castra sua posuerunt, tam vicini Germa-

(1) *De Laudibus Stiliconis*, lib. III, v. 162.

niæ, ut integrum imperium videri potuerit. Id totum manu sua continuit Theodosius; quo regnante credas rediisse primorum imperatorum ætatem; tantum est magni viri opus! Illud autem, exstincto Theodosio, regnantibus filiis, aliquamdiu stetit. Non solus Claudianus Theodosium Theodosiique res laudavit; iisdem enim laudibus magnum imperatorem ecclesiastici scriptores prosequuntur. Illi profecto ob Ecclesiæ instaurationem imperatorem prædicant; sed nisi imperium fuisset instauratum, non instaurari potuisset Ecclesia. Inde fit, ut christiani Theodosii victorias, et uni viro parentia duo imperia certatim celebrent. Et ii quidem illas victorias Deo tribuunt, quæ interpretatio a Claudiani mente multum abest; sed ex testimonio poetæ pariter et Ecclesiæ Patrum constat, restitutas fuisse infirmo imperio vires, et, quum princeps pristinam potentiam sibi vindicavisset, suam rebus Romanis rediisse magnitudinem.

Dolendum est profecto Zosimum et cæteros nihil de iis quæ refert poeta dixisse. Bella certe narrant externa et palatii motus, quibus Romana res perturbata fuit, sed imperium ipsum nec describunt, nec effingunt, seu imprudentes illud omiserint, seu tantæ rei fuerint impares. Illud autem contra Claudianum est, cujus fides, ut poetæ et laudatoris, propter istorum silentium, in dubium vocatur.

Cæterum poeta ipse in pingendo multam um-

bram luci admiscuit sciens; ut quem non fefellerint pericula imperio imminentia.

Theodosio exstincto, ait Claudianus, jam Illyricis campis insidet Alaricus; jam rebellis Gildo ad arma Africam vocat;

> Nam quæ jam regio restat, si, dedita Mauris
> Regibus, Illyricis accesserit Africa damnis?
> Jus Latium, quod tunc Meroe, Rubroque solebat
> Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda;
> Et cui non Nilus, non intulit India metas,
> Romani jam finis erit Trinacria regni.

Sic a nimiis laudibus cavet Claudianus (1).

Si quis, quale ea ætate fuerit imperium, vere judicare velit, oportet se, ut ita dicam, imperii ipsius quasi civem, ætatisque æqualem faciat. Num autem, ubi Romanus civis exstiterit, credet Romam exitio suo proximam? Ne igitur vitio vertat Claudiano quod illud exitium nec providerit nec fuerit suspicatus. Quum autem immineat Romani imperii exitium, non ideo, tempore Claudiani, omnino fractum erat imperium, quod nuper refecerat Theodosius. Fatendum est, Honorio mortuo etiamque senescente, præcipitem in ruinam ferri Romam; sed quam distant a novissimis primi imperantis Honorii anni! Quum scribit Claudianus, stat etiam tunc integrum Theodosii opus; si igitur carmina poetæ recte interpretatus fueris, plura in eo vera deprehendes, nec multa de ejus præconiis detrahes.

(1) *De Bello Gildonico*, v. 452.

Quum enim robusta simul et imbecilla sit Roma, robore tamen nos movet potius quam imbecillitate; si quidem, quanquam Barbari in Orientem irruerint, Occidentisque ad fines adstent, et sæpius Romanos exercitus devicerint, Occidentale certe imperium nondum ictibus patuit; ne unus quidem barbarus Italiæ solum attigit; Franci etiam in Gallia, non aliter quam annuente imperatore, consederunt; illorumque virtuti finium defensio fuit commissa.

Constans e Gallia intacta, Rhœtia Italiaque integra, Hispania, Africa, Sicilia, et cæteris maris Mediterranei insulis, imperium Occidentale amplum sane et augustum est, nulla adhuc amissa provincia. Quum Stilico, Gildone victo, receptaque Africa, Romam rediit, par fuit Romam gaudio simul et admiratione perfundi. Dux enim ille, magno Theodosio, domino suo, non indignus, robustis humeris imperii onus subierat, et per eum nec victoriæ Romæ defuerant, nec triumphi.

Quanta esset Romæ magnitudo barbari ipsi intelligebant. Ibant enim, ripas Danubii Rhenique sequentes, idque mirantes, quod ubique imperium Romanum occurreret; cujus quærebant finem, nec inveniebant. Cimbri Teutonesque, prima barbarorum agmina, illa admiratione, conspecta Romanorum gloria, obstupuerant. Post hos cunctæ gentes non sine terrore quodam illam Romanam dominationem, cui nulli termini esse videbantur, spectaverunt. Fuerunt etiam inter illas duces qui, Romam

mirati, nec constituendo novo imperio pares se arbitrati, Romam tuendam servandamque susceperunt; quas partes egit Ataulphus, Alarici frater. Fuerunt alii (Theodoricum dico) qui Romam ceperunt, nihil aliud quærentes quam ut ejus imperium instaurarent. Quod consilium, elapsis multis ætatibus, a barbarorum mente non elapsum est; illud enim integrat Carolus magnus et absolvit; Francorumque rex imperatorio diademate, gravissimo quidem, frontem suam cinxit, cujus sub pondere defessi filii procubuerunt.

Quomodo igitur Claudianus Romana magnitudine non motus fuisset, quæ ipsos barbaros non fallebat? Recensebantur etiam tum in imperio duæ præfecturæ, septem dioceses, septem et quinquaginta provinciæ; occidentalia maris Mediterranei littora complectebatur Honorii dominatio. Fortes incolas habebant montes, quos mali mores non fregerant, adeo multos, ut legiones integræ ex iis constarent. Massilia, commercio maris regina, quam Roma supra Carthaginem extulerat, naves innumeras in suum portum admittebat.

His autem dictis, non tamen omnibus Claudiani laudibus adhibenda fides, nec credendum hæc exclamanti:

. . . . nec enim campus solemnis et urna
Luditur in morem : species nec dissona cœtu,
Aut peregrina nitet simulati juris imago.
Indigenas habitus nativa palatia sumunt,

Et, patriis plebem castris sociante Quirino,
Mars augusta sui renovat suffragia campi (1).

Augusti, si Claudiano credas, tempora redierunt; electi sunt magistratus, quos inter numerantur imperator ipse et Stilico; non per vim aut fraudem occupantur honores; coluntur jam optimi majorum mores; munera sua tenet virtus, quæ ei detrahere non valet invidia; nec jam Romam pudet consulum suorum;

Imperio sua forma redit, claustrisque solutæ
Tristibus exsangues audent procedere leges.
Jamque potestates priscus discriminat ordo
Justitiæ, quas ante pares effecerat una
Nube timor.... (2).
Firmatur senium juris, priscamque resumunt
Canitiem leges, emendanturque vetustæ
Acceduntque novæ.... (3).

et memorat Claudianus Solonem et Lycurgum, non merito quidem. Nam certe mutata est Roma, et quanquam laudibus eam extollat poeta, patriam suam non sane agnoverit Pompeius. Agnoverit forsan infimam plebem, quam vidit, post devictos piratas, gaudio exsultantem, quia, libero jam mari, Ostiam facile appellebantur naves quæ Romam frumentum advehebant.

(1) *De sexto consulatu Honorii Augusti*, v. 5.
(2) *De Bello Getico*, v. 36.
(3) *De quarto consulatu Honorii Augusti*, v. 503.

Quamvis autem multum laboret poeta, ut comitia, senatum, magistratus legesque laudet, nemo non intelligit senatum, comitia, magistratus, leges non jam esse. Jampridem Augustus totam ad se magistratuum legumque vim, ut ait Tacitus, traxerat. Timens enim ne eadem nece periret qua Cæsar, ille primus imperator reipublicæ romanæ leges, specie quidem, integras reliquerat. Deductis autem ab Augusto imperatoribus idem timor fuit. Igitur priscas leges, quanquam novæ rerum rationi parum accommodatas, retinuit imperium, easque abjicere serius tentavit. Sed jampridem nullius momenti est senatus; quocum ceciderunt comitia, magistratus et leges; jamdudum illa omnia, reipublicæ superstitia, lethali ictu corruerunt; et quam inanes supersint reliquiæ, vel ex Claudiani laudibus manifestum est. Ea autem res imperium omnino infirmum esse non demonstrat. Vim enim omnem in se habet princeps; qua vi Theodosius barbaros ingruentes domuit, et imperium refecit. Cur autem eam non retinuisset Honorius? Non retinuit certe, sed a puero, qui nondum experimentum sui fecerat, nihil non poterat exspectari.

Constituto unius imperio, non jam quidquam proderant liberæ civitatis leges; imo nocebant. Exstincta libertate, cur non inciperet unius imperium? Quia scimus hoc non constitutum fuisse, putamus non potuisse constitui. Sed non licet ante diem imperii casum prædicere.

Si verum dicere velimus, totam vim Roma nondum amisit; impendent malæ dies, at nondum adsunt. Post Honorium nescio quid robusti et splendidi identidem etiam tum apparet, teste Aetio, teste Majoriano.

III

Imperator.

Id in Claudiani scriptis est imprimis animadvertendum, maximam menti ejus obversatam fuisse imperatoris effigiem. Quum Honorium laudat prædicatque Theodosium, fateor eum nimia poetici panegyrici amplificatione abreptum a vero discedere. Sed non in illis tantum Claudiani laudibus deprehendi potest imperatoris magnitudo; ea ubique occurrit; cuncta poetæ opera supereminet.

Repetamus enim, ut antea jam diximus, tempora quibus ille scribebat. Imperium, quamvis a barbaris pressum, illis æquo Marte obluctabatur; imperatores nondum et pugnare et vincere dedidicerant. Nec multi sane anni lapsi erant, ex quo Valentinia-

nus, regiones transrhenanas invadens, Alemannos ad Salzbachum prostraverat; ex quo Valentis, prope Andrinopolim a Gothis occisi, necem ultus fuerat Theodosius.

Curantibus Constantino et Theodosio, imperatoria potestas certa stabilisque evaserat; ea autem induti principes a sicariis non fuerant lacessiti; nec redierant *militaris anarchiæ* motus, nec *triginta tyrannorum* cruentati tumultus.

Imperatoria potestas proprio robore per se vigebat, tanquam sui juris et mancipii, supra imperatorem, qui eam administrabat : id ex omnibus Claudiani scriptis patet; et in eo poetæ fides facile demonstrari potest. Convertamus enim oculos in tempora Romæ occasum sequentia. Imperatoria potestas post imperatores vivit; eam enim, ut victas gentes sibi concilient, barbarorum duces occupant; ea superbit Clovis patricius, ejusque filii; ei adipiscendæ maxime studet Carolus magnus.

Honorius, si regnum ejus, quam late patet, complectamur, parvi sane pretii fuit imperator, quem laudat tamen Paulus Orosius (1); dum notam ignominiæ inurit Procopius (2), dicens eum non esse malum, sed pigrum, ignavum, roboris animi et magnitudinis expertem, et dignum qui

(1) Lib. VII, c. 37.
(2) B. V. lib. I, c. 2.

exstinctum imperium videat. Sed meminerimus Claudianum, Honorio undecim annos nato, carmina incepisse. Mediis in laudibus facillime agnoscimus poetam ad Stiliconis pupillum spectare. Nondum quidquam egit Honorius, et maximam tantum ipsius spem fecit. Quapropter, ad ipsa Honorii incunabula canens lætissima tantum futuri auguria memorat Claudianus, et voces volatusque avium, et vatum discursus : cum Ascanio eum comparat ; alunt eum deæ, amat Diana ipsa ; ejus auspiciis victoria velox efficitur ; fatis suis jam pugnat Honorius (1). Dicit poeta quam docte puer equitet et arma exerceat ; celebrat magnificas vestes, eo gratiores quo decentius geruntur, ejus laudat virtutem, quia vehementer cupit eum solio dignum et populis gratum esse. Illi tribuit omnes ingenii facultates et omnia animi bona, exclamatque : Tu Alexander eris ; alterum enim Alexandrum Roma reposcebat. Honorium fingit æstu præliorum abreptum, simul et jura regentem et dicentem, ita ut viam ei monstret, et quid ab illo exspectetur indicet. Illa autem testantur non pauci Claudiani versus ; nempe Theodosium inducit Honorium optima monentem :

> Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset,
> Care puer, terrisque procul venerandus Eois
> Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras ;
> Sufficeret sublime genus, luxuque fluentem
> Deside nobilitas posset te sola tueri.

(1) *De tertio consulatu Honorii Augusti*, v. 88.

Altera Romanæ longe rectoribus aulæ
Conditio : virtute decet, non sanguine niti (1).
. . . . . .
Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum ; tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia jure tenebis,
Quum poteris rex esse tui : proclivior usus
In pejora datur, suadetque licencia luxum,
Illecebrisque effrena favet. Tum vivere caste
Asperius, quum prompta Venus ; tum durius iræ
Consulitur, quum pœna patet : sed comprime motus ;
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domat respectus honesti (2).

Si eximiis illis præceptis paruisset Honorius, imperium forsan servavisset.

In alio loco illud imperatori objicit, quod Romam, primam veramque imperii sedem, deseruerit, aitque eum a populo et senatu vocari ; respondet autem imperator : Exspectandum esse. Tum surgit Roma, deæque similis principem adit, qui ipsam aspernatur :

. . . . . quonam usque tenebit
Prælatus mea vota Ligus, vetitumque propinqua
Luce frui, spatiis discernet gaudia parvis,
Torquebit Rubicon vicino nomine Tibrim ? . . .
Quem precor ad finem laribus sejuncta potestas
Exsulat, imperiumque suis a sedibus errat ?
Cur mea quæ cunctis tribuere palatia nomen
Neglecto squalent senio ? . . . (3).

(1) *De quarto consulatu Honorii Augusti*, v. 214.
(2) *De quarto consulatu Honorii Augusti*, v. 259.
(3) *De sexto consulatu Honorii Augusti*, v. 362 et 407.

Optima quidem verba, sed tardius dicta. Constantinus enim Romam deserens, eam ad ineluctabilem ruinam damnaverat.

Alarico ex Italia pulso, Honorius Romam triumphi causa venit; quanta est omnium lætitia! quanta admiratio! Quum autem Claudianus ad imperatoris memoriam revocat populi gaudium et plausus, vult sane illi suadere ut in Cæsarum palatia redeat.

Claudiano igitur suadendi ars non deest, qui semper Honorio exemplum non respuendum proponit, nempe patrem ipsius, magnum Theodosium.

Theodosius enim, nec per fortuitam nascendi conditionem, nec per ambitionem, imperio potitus est;

> Digna legi virtus; ultro se purpura supplex
> Obtulit, et solus meruit regnare rogatus (1).
> . . . . En aurea nascitur ætas;
> En proles antiqua redit. Concordia, virtus,
> Cumque fide pietas alta cervice vagantur;
> . . . Ipsa. . . liquidas delapsa per auras
> Justitia. . . . (2).

Theodosio imperante, pax alma nec barbarorum vastationibus, nec ducum rebellium impia audacia turbata est. Theodosius « triumphato ab Istro signa flexit » ad Italiam, ut Maximum Gratiani, 388,

(1) *De quarto consulatu Honorii Augusti*, v. 47.
(2) *In Rufinum*, lib. I, v. 50.

Arbogastum et Eugenium Valentiniani secundi interfectores castigaret, 394.

Quæ tantorum beneficiorum erit merces? Theodosius inter Deos admittitur;

> Machina laxatur cœli, rutilæque patescunt
> Sponte fores. Arctoa parat convexa Bootes :
> Australes reserat portas succinctus Orion (1).

Non hanc quidem mercedem Theodosio tribuunt ecclesiastici auctores; nec tamen eum minoribus laudibus prædicant. Quis enim, servato tamen modo, Theodosium non laudet? Quis possit cognomine magni non appellare victorem Gothorum, Maximi et Arbogasti, imperii instauratorem, novissimumque Orientis Occidentisque rectorem?

Dolendum est quod Honorius egregium hoc exemplum non secutus sit. Immensæ enim potentiæ, quæ tanto usui fuerat Theodosio et Stiliconi, nullus apud eum usus, quum firmo etiam tum imperio infirmus princeps præsideret.

(1) *De tertio consulatu Honorii Augusti*, v. 169.

IV

Stilico.

Si unquam alias, erga Stiliconem præcipue in largiendis laudibus effusus fuit Claudianus. Eum gratissimi animi sensibus merito prosequebatur; ad Stiliconem enim poetæ opes, honores, gloria forsan ipsa referenda sunt. Per eum enim, repudiata Græca lingua, Latina lingua usus est. Quum igitur eum carminibus suis celebrat, non adulationi tribuendæ sunt ejus laudes; vel dum verbis nimiis utitur, sinceris grati animi motibus impellitur.

Nec tamen negandum Claudianum in admirando Stilicone forsan modum excessisse. Etenim si poetam cum historicis qui serius de Stilicone disseruerunt comparemus, illud statim videtur concludendum.

In iis quæ de urbe Roma, de imperio et de imperatore disseruimus, nullus, nisi Claudianus, historiæ materiam nobis præbuit. Nunc autem diversi adsunt scriptores, quorum testimonio Claudiani verba vel refellentur, vel confirmabuntur.

Socrate et Sozomene judicibus, Stilico rem suam tantummodo curat, ad id semper paratus et inten-

tus, ut imperium et imperatorem sua ambitione in periculum vocet. Orientem igitur et Occidentem inter se committit, et omnia ad se referens eo spectat, ut Romani, ad ipsius arma confugere coacti, imperatorem suum honoribus et gloria extollant.

Paulus Orosius in lacessendo Stilicone etiam audacior est. Affirmat enim Stiliconem id sibi proposuisse ut e solio Honorium deturbaret, imperiumque affectasse, non ipse potiturus, sed nomine Eucherii, filii sui, regnaturus. Quapropter bella consulto serit et movet, nec quidquam metuit nisi pacem : « Alaricum cunctamque Gothorum « gentem, pro pace optima et quibuscumque se- « dibus suppliciter et simpliciter orantem, oc- « culto fœdere fovens, publice autem et belli et « pacis copia negata ad terendam terrendamque « rempublicam reservavit (1). »

Zosimus in Stiliconem minus sævit; hoc loco Eunapii verba, qui Vandalum contumeliis laceraverat non retulit. A Rufino et Eutropio (fatemur enim), Stiliconem Zosimus non dividit, eumque monstrat illis non dissimilem, alienarum rerum avidum, opibus inhiantem, crudelem, nec cuilibet ipsius iter moranti parcentem, in inimicos atrociter sævientem, eosque occultis artibus atque etiam ministrorum suorum sica persequentem. Impera-

(1) C. 28, p. 571. Lugduni Batavorum, 1738.

tori quidem inservit, sed propriæ utilitatis causa, vir fallax et virtutis doctus simulator. Cum Alarico clandestinum commercium habet; quo in Orientem immisso, Illyricas provincias sperat se recuperaturum, ita ut, Romanis pariter et barbaris consulens, ad hos sibi, si destituerit ipsum imperatoris favor, perfugium, et quasi portum paret. Nullam ei aliam virtutem tribuit quam consilium Zosimus, nec tamen eum proditionis accusat; imo vero ejus promerita confitetur, atque etiam dicit eum Italiam liberavisse. « Ob hanc victoriam Stilico « non abs re magnos animos gerens, cum exercitu « ab omnibus prope modum coronatus redibat, « quum præter omnem spem formidatis periculis « Italiam liberasset. »

Ipsi autem Ecclesiæ Patres Stiliconi non omnino adversi sunt; ejus leges probat divus Augustinus; eumque semibarbarum vocat divus Hieronymus.

Quum Zosimus aliquas laudes tribuat Stiliconi, ille proximus Claudiano, quanquam sane multum ab eo distet. Certum est laborare Claudianum ut Stiliconis gesta amplificet; illud autem uno argumento satis confirmabitur, nempe ejus carmina cum libro Zosimi, in quo iste Græciam a Gothis vastatam narravit, conferendo. Si Zosimo credas, serius Stilico opem tulit Græciæ, eamque penitus vastatam reperit. In Peloponeso tandem Alaricum assecutus, eum in monte Pholoe inclusit; sed ubi certum habuit Alaricum teneri, castra relinquens,

nimiis voluptatibus se dedit; interea, elusa circumsedentium cura, ex monte erupit Alaricus. Quidquid hic Stiliconi turpe erat, multa arte a suo patrono Claudianus removet; non enim recessit Alaricus, sed aufugit, eum autem persecutus jam tenebat Stilico; sed Constantinopoli venere jussa, quæ eum arma projicere coegerunt. Nempe Arcadius Alaricum, militiæ magistrum constitutum, Illyriæ præposuit (1).

> Numina Romanis necdum satiata ruinis,
> Si juvat imperium penitus de stirpe revelli,
> Uno si placuit deleri secula lapsu,
> Si piget humani generis. . . . . .
> Cur per Rufinum geritur? . . . (2)

Hic sine dubio adulatione Claudiani fides infirmatur; sed animadvertendum tamen quam modeste adulatione utatur; culpam enim Stiliconis non excusat aut laudi vertit; tantummodo silet. Imo vero affirmaverim Stiliconem adeo non facili et avida aure laudes excepisse, ut contra eas, nisi multa arte dissimulatas, non admiserit. Nusquam enim a Claudiano celebratur ducis origo, quo laudandi genere non sane abstinuisset poeta, si acceptum illud duci futurum credidisset. Unde judicandum apud Stiliconem non valuisse adulationem,

(1) *De sexto consulatu Honorii Augusti*, v. 93. — *In Rufinum*, lib. II, v. 195. — *De quarto consulatu*, v. 459-474.

(2) *In Rufinum*, lib. 2, v. 206.

nisi ubi aliquid veri laudibus intermisceretur. Claudianus igitur, vel tacendo, quum aliquid vituperandum est, præconiis suis fidem facit. Imprimis Stiliconem ob Alarici clades, ob liberatam Romam et Honorium prædicat. Si Zosimus Alaricum in Italiam irruentem dixisset, et Honorium Astam fugientem; si relatas ad Pollentiam Veronamque narravisset victorias, quæ eo majore lætitia Italiam perfuderunt, quo tetriores calamitates timuerat; nihil sane aliud in ejus libro legeretur, quam quod de re ad Fesulas prospere gesta scripsit: Stilico Italiam servavit.

Quoniam igitur omnes de illo bello silent, eventu ejus diligenter inspecto, quærendum est num nimiis laudibus victorem poeta prosecutus sit. Sed victorem Scipioni, Regulo et Camillo comparat: quæ quidem comparatio non omnino falsa et rejicienda est; etenim inter Alaricum Brennumque Gallum non cuncta sunt dissimilia; vel post octingentos annos hæc dicere licebat:

> At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
> Sed tot communi populos sub morte jacentes,
> Totaque Tartariis a faucibus oppida traxit (1).

Quo gaudio exsultavit Roma quum nuntiatum est fusum fugatumque recessisse Alaricum! Facil-

(1) *De Bello Getico*, v. 261. — *De Laudibus Stiliconis*, lib. I, v. 368. — *De Bello Getico*, v. 414, 447.

lime igitur fidem tribuimus poetæ, qui gentes universas depingit victori gratias agentes, et ab imperatore consulatum victori petentes. Ille autem Honorii curru vectus Romam intravit; et jam populus ei statuas ponit :

> Qua dignum te laude feram, qui pene ruenti
> Lapsuroque tuos humeros objeceris orbi (1) ?

Ideo sane scriptores quidam decepti sunt, quod Stilico Alaricum mediam in Italiam penetrare passus est. Exercitum autem non habebat; nuntiato Alarici incursu, statim ad se vocavit barbarorum auxilia, vocataque coegit, et rapuit in hostes; igitur invadenti Alarico occurrit, ubi primum licuit occurrere. Duce et auspice Stilicone, Roma victoriam ex insperato sibi vindicat; mox peritura, triumpho quasi sepelitur.

Igitur accusantium invidiam supereminet Claudianus. Heros exstat, ne violatus quidem Orientis odio :

> . . . . . Discordia quippe
> Quum fremeret, nunquam Stilico sic canduit ira,
> Sæpe lacessitus probris, gladiisque petitus,
> Ut bello furias ultum, quas pertulit, iret
> Illicito, causamque daret civilibus armis (2).

Num vero nocens judicabitur Stilico, quia, Hono-

(1) *De Laudibus Stiliconis*, lib. II, v. 218. — *De sexto consulatu*, v. 578. — *In Rufinum*, lib. I, v. 273.

(2) *De Laudibus Stiliconis*, lib II, v. 81.

rio jubente, capite damnatus est? Jampridem beneficiorum immemores erant imperatores; et ignavus Honorius, Romam et seipsum oblitus, tutorem socerumque suum contempti Olympii iræ et ultioni condonavit.

Quod serius Valentiniano, qui Aetium mactaverat, respondit senator quidam, Honorio dicendum erat : « Agis ut homo qui sinistra dexteram ma-« num secat. »

Illum autem Stiliconem, quasi dexteram Honorii manum, nisi superessent Claudiani scripta, tantummodo per Socratis, Sozomenis et Pauli Orosii contumelias, et veraces forsan, sed breviores Zosimi narrationes notum haberemus. Eum, qualis erat, effinxit poeta ducem, quem ipsi fatemur doli, crudelitatis, avaritiæ accusari potuisse, nempe barbarum; attamen probus erat; nunquam, ait Zosimus, milites stipendiis, congiariis, donativis fraudavit. Vir ille magnus, quamvis barbarus, rebus imperatoris optime gestis, victo Alario, servata Italia, imperium et imperii provincias refecit.

V

Barbari et exercitus Romanus.

Jampridem barbari ad imperii Romani fines pervenerant, et ipsum invaserant imperium. Rebus maxime secundis, Roma nuntiis acerbissimis exterrita fuerat: Cimbros Teutonesque, paucos inter annos, quinque exercitus Romanos fudisse, et Galliam occupavisse; provinciæ Romanæ imminentes, consulem ejusque legatum vicisse; postea incerta libidine abreptos, in Hispaniam irruisse. Revertentes exspectavit Marius; apud Sextias Aquas Teutones, et apud Vercellas Cimbros profligavit.

Ex illo tempore, Roma nunquam oculos averterat a Germania, ignota regione, unde eruperant barbari. Primus Rhenum transiit Cæsar, et Romanas legiones ad Danubii fontes tulit.

Deinde imperatorum legati, et interdum ipsi imperatores trans Rhenum et Danubium, magnos imperii fines, pugnaverant; castra, urbes, mœnia, vias, fossas, muniverant; et Trajanus etiam Daciam inter Romanas provincias adscripserat.

Sed tantis conatibus defessa, et nimium extensa, Roma fines ipsa retro moverat, et deficientes vires, ut sanguinem ad cor, revocaverat.

Barbari autem, diu immoti, repente magnis itineribus celeraverunt; transmisso tandem Rheno, Galliam, anno fere post Ch. 250, annuente quidem imperatore, Franci occupaverunt.

Interdum parta Romanis aquilis victoria; ipsos rebelles Francos vicit Aurelianus; Constantius Chlorus et paulo post Julianus ad Rhenum inclaruerunt; flumen feliciter transiit Valentianus, cujus campi Salzbachi meminerunt.

Steterunt magna admiratione quasi stupefacti barbari; et inter Rheni Danubiique fontes aliquandiu morati sunt. Illa erat eorum ultima statio; unde rursus profecti, vi magna in imperium irruent. 406.

Anno 375, Danubius tandem perruptus fuerat; Hunni, a Mæotica palude profecti, et Europam ingressi, populos in imperium Romanum præcipites egerunt; in Danubii sinistra ripa terra defuit Visigothis, qui, quum in dexteram ripam trajecissent, a Valente recepti fuerunt.

Ab his autem magna pugna superatus post tres annos periit Valens. Eos quidem vicit Theodosius, sed Theodosio exstincto, longius progressi sunt.

Annum, quo frequentissimi Danubium trajecerunt, notavit Claudianus, quum de Visigothis relatam, 403, a Stilicone victoriam cecinit; eum-

que adeo movet difficillime parta victoria, ut barbaros a diis immissos in imperium credat.

> Frigida ter decies nudatum frondibus Hœmum
> Tendit hyems vestire gelu : totidemque solutis
> Ver nivibus viridem monti reparavit amictum,
> Ex quo jam patrios gens hæc oblita triones,
> Atque Istrum transversa semel vestigia fixit
> Threicio funesta solo ; seu fata vocabant,
> Seu gravis ira Deum, seriem meditata ruinis (1).

Quum Claudianus tanto terrore motus de barbaris loquitur, intelligimus illum, aspectis barbaris, vix Stiliconis virtuti confisum esse.

Hos videt per Europæ Asiæque fines in imperium penetrantes; quantus autem eorum numerus est! illos nominat, nunc describit Alanos, quos venientes « terrisonus » stridor prodit; nunc Hunnos vagos ferosque; nunc Gelones falce, Getas arcu, Sarmatas conto armatos; quos nec fluvii, nec montes morantur :

> . . . . Qualem Stilico dejecerit hostem,
> Thraces et Hæmonii poterunt Mœsique fateri.
> . . . . . Incendia fumant;
> Muris nulla fides; squalent populatibus agri,
> Et medio spes sola mari (2).

Tanto bello, tantis præliis conspectis auditisve

(1) *De Bello Getico*, v. 166 et seq.

(2) *De Laudibus Stiliconis*, lib. I, v. 109. — *De Bello Getico*, v. 164 — *In Eutropium*, lib. I, v. 242.

motum poetam intus alit aliquis tanquam Virgilii spiritus·

> Dicite, Bisaltæ, vel qui Pangæa juvencis
> Scinditis, offenso quantæ sub vomere putres
> Dissiliant glebis galeæ, vel qualia rastris
> Ossa peremptorum resonent immania regum (1).

Sed cunctis præ gentibus Hunni Claudianum terruerunt; quos quanta vi depinxit!

> Est genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
> Trans gelidum Tanaim, quo non famosius ullum
> Arctos alit : turpes habitus, obscenaque visu
> Corpora; mens duro nunquam cessura labori;
> Præda cibus, vitanda Ceres, frontemque secari
> Ludus, et occisos pulchrum jurare parentes;
> Nec plus nubigenas duplex natura biformes
> Cognatis aptavit equis : acerrima nullo
> Ordine mobilitas, inspératique recessus (2).

Num dicetur cuncta extollendæ causa Stiliconis gloriæ in majus aucta fuisse? Non negabimus in his carminibus Stiliconem unam Romæ salutem videri, nec credidisse Claudianum barbaros ab alio quolibet repelli et vinci potuisse. Non minora autem retulerunt ipsi rerum scriptores : si Ammianum Marcellinum, Sidonium Apollinarem, Zosimum, Jornandem evolveris (3), nihil aliud inveneris. Quinimo : audire mihi videor Græcum

(1) *De Laudibus Stiliconis*, lib. I, v. 134.

(2) *In Rufinum*, lib. I, v. 323.

(3) XXXI, 2. — *Carmen* II, 244, seq. — IV, 20. — *De Rebus Geticis*, 24.

Probum suam ad Hunnos legationem narrantem, et, etiam quum scribit, aspectu Attilæ conterritum.

Ut illis feris populis obluctetur, quas vires habet Roma? Qui sunt ejus exercitus?

Magnis longisque bellis ut nobilitantur populi, ita consumuntur. Post Punica bella minores fuere Romani exercitus; Romam quidem non vicit Annibal, sed multos cives occidit, et omnium optimos; pauci e Cannarum campis plebeii redierunt. Post cladem istam ex sociis et Italicis vis legionum constat; solvitur autem militaris disciplina; bella inter Macedonica, T. Q. Flamininus et Paulus Æmilius, ad clades reparandas missi, primum operam dant ut exercituum disciplinam restituant.

In deterius lapsæ sunt res temporibus Marii. Quum enim ille, ad Aquas Sextias Teutones exspectans, ut militum vires reficeret, annum unum consumpsisset in fossis muniendis, degeneres Romani eos, a quibus servabantur, milites Marii nomine mulorum illudebant.

Cum Romanis quidem militibus Galliam, sed cum militibus Gallis Romam et imperium Cæsar subegit. Mox in honore tantummodo fuerunt milites a septentrionalibus regionibus profecti, quos ad bella externa imperatores, quos ad interna bella seditiosi duces sibi vindicaverunt. Rheni et Danubii legiones res cunctas dirimebant; sæpe illæ duces suos perduxerunt Romam, et ad imperium promoverunt.

Arcessebantur ex Germania Sarmatiaque auxiliares copiæ; quum enim bellum dedidicisset Roma, barbaros conducebat, qui pugnarent.

Inde fit ut, rebus cunctis mixtis et perturbatis, Roma nec regat, nec mandatis suis parentes habeat milites suos, qui nihil agunt, nisi ex jussu ducis; inde fit ut multa timeat moriens Theodosius. Occidentalem quidem exercitum continuit Stilico; exercitus vero orientalis non majoris pretii fuit quam ipsius duces (1).

In Occidente, ait Claudianus, fidissimo militi est validum robur, est imperatoris amor; ipso in vultu spirat quasi impressa fortitudo. Recenset poeta legionem ab Augusto dictam, « nomenque probantes Invictos, clypeoque animosos teste leones (2). »

Sed quam sui dissimilis est in diversis partibus ille occidentalis exercitus, tot ex populis constans, Sarmatis, Gelonibus, Alanis; in quo cum Asiæ gentibus Europæ gentes mixtæ occurrunt.

> . . . . . Mixtis hic Colchus Iberis,
> Hic mitra velatus Arabs, hic crine decoro
> Armenius; hic picta Saces, fucataque Medus,
> Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus;
> Hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus
> Oceani. . . . . (3).

(1) *De Bello Gildonico*, v. 286 et seq. — *In Eutropium*, lib. II, v. 376 et seq.

(2) *De quarto consulatu*, v. 420. — *De Bello Gildonico*, v, 422.

(3) *De Laudibus Stiliconis*, lib. I, v. 155 et seq.

In alio loco :

> Jam princeps molitur iter, gentesque remotas
> Colligit auroræ, timidus quascumque pererrat
> Euphrates, quas lustrat Halys, quas ditat Orontes
> Thuriferos Arabes saltus, vada Caspia Medi,
> Armenii Phasim, Parthi liquere Niphaten (1).

Intelligitur quanti negotii fuerit istiusmodi exercitum cogere; instante enim periculo non aderat; necesse erat ut dux legionibus disjectis obviam iret; non aliam quidem ob causam Stilico initio belli adeo moratus est. Copiis nondum collectis, sinit hostem per Italiam incedere; ubi copiæ paratæ sunt, venit : ne igitur in proditionis crimen vocetur.

Illum nobis ostendit Claudianus disponentem « vicinas manus, » quibus defensa fuit Rhetia, Britanniæ milites, et legiones, quibus Sicambri, quibus Catti indomitique Cherusci subjecti fuerunt (2).

Stiliconis igitur fama in eo præcipue constat, quod hujusmodi exercitum in hostes duxerit, et cum illo formidandos Getas vicerit.

In irruentes barbaros alios tantum barbaros, imperii non sine mercede propugnatores, Claudianus inducit; sed barbari illi, qui militiam pretio exercent, acriter pugnant referuntque victorias, si a strenuo imperatore aut a fido legato ducuntur; et, ut jam non imperii, ita certe imperatorum etiam tum sunt milites.

(1) *De tertio consulatu*, v. 63 et seq.
(2) *De Bello Getico*, v. 414.

PARS TERTIA.

CONSTANTINOPOLIS.

I

Rufinus.

Adhuc de Roma tantummodo disputavi, et de occidentali imperio, quod regebat Stilico, in quo vixit Claudianus.

De Constantinopoli autem poeta noster scripsit duo poemata, quæ nobis jam inspicienda. Non vero ii panegyrici sunt, sed acerbæ in Rufinum et Eutropium, Arcadii ministros et Stiliconis indigne æmulos, satiræ. Adhuc nobis proposita fuerunt præconia poetæ patronum suum laudibus extollentis. Nunc autem intremus Constantinopolim, novam

URBEM, quam exstruxit Constantinus, ab URBE tanquam transfuga. Jam vero quam mutata rebus facies! Scilicet qui totus erat in Occidente celebrando, Orientem vehementissime insectatur.

Num igitur multum a Roma, illa ætate peritura, distat Constantinopolis quæ octogintos annos etiam tum incolumis futura est?

Lucem injiciunt in panegyricos satiræ. Constantinopoli melior est profecto Roma, non per se ipsam quidem, nec propter imperatorem, sed propter Stiliconem, qui eam regit ducitque; in illo uno viro tota est Roma. A Gracchorum temporibus Romæ res non aliter se habebant.

Ultimas maris Mediterranei partes tenens, et totas pene orientales oras occupans, firmum est, quanquam pravi sint imperatores et imperatorum ministri, orientale imperium, occidentali etiam imperio firmius. Provincias habet ditissimas et feracissimas, incolas industrios et negotiandi studio addictos, classes etiam et exercitus non e barbaris constantes, sed e militibus a Thraciæ Græciæque montibus profectis. Ostendet Justinianus ad quantas res adhiberi possint tantæ illæ opes, et novissimo splendore collucebit imperium.

Constantinopolis retrorsum posita, pone Danubium et Thraciæ montes, tuta est ab incursu barbarorum, qui primo impetu præcurrentes, illam non attingunt, nisi retroacti. In Occidentem igitur irruunt. Suus Constantinopolim situs servavit,

quam non septentrionales, sed meridiani barbari oppriment.

Attamen, exstincto Theodosio, in maxima pericula incidit orientale imperium, resque, a perfidis impulsæ ministris, ruinæ propiores fuerunt.

Zosimus sine ullo animi motu Rufini facta narravit, nec avaritia, nec crudelitate, nec sceleribus omissis; nec quidquam a Claudiano distat. Historicus, nisi poeta scripsisset prior, carminum materiam Claudiano præbere potuisset. Eadem enim objurgat, sed, quæ placido animo refert historicus, ea poeta, maxima indignatione abreptus, acerrime depinxit.

Quum Rufinum Claudianus arguit, quod imperii exitium, barbarorum subsidio fretus, machinetur, in memoriam revocantur pessimæ artes, quibus, secundum Zosimum, Rufinus natam suam ad imperium tollere conatur, et iram, qua incenditur, quum Eutropius Bauti filiam Arcadio uxorem dedit.

Vix dixit Claudianus Rufinum immanissimis proscriptionibus in imperium sæviisse, atque ipsum, occisorum a se civium hæredem, maximas congessisse divitias; dum Zosimus eum effingit, Lucianum Orientis comitem, quem ira et odio persequebatur, Antiocheæ comprehendentem, nec prius abscedentem quin comprehensum ipse ad supplicium duxerit.

Tantam igitur per crudelitatem et exquisitam perfidiam redeunt veterum proconsulum effusæ

libidines; audire mihi videor Tullii vocem Verrem accusantis :

Nec celeri mittit letho : crudelibus ante
Suppliciis fruitur; cruciatus, vincla, tenebras,
Dilato mucrone, parat. Proh! sævior ense
Parcendi rabies, concessaque vita dolori.
. . . . . Non flectitur annis,
Non ætate labat : juvenum rorantia colla
Ante patrum vultus stricta cecidere securi. . .
. . . Jam Cinna pius; jam, Spartace, lenis
Rufino collatus eris (1).

Nihil profecto ex illis versibus detrahendum, sed animadvertendum quantum poeta cum rerum scriptore conspiret. E Claudiani enim carminibus veritas prodit integra et intacta; vel deficiente Zosimo, orientalis imperii clades poeta ad verum effinxisset. Fuerunt qui Rufini mortem in majus auctam crediderint; sed Zosimus ipse testatur dextram ejus abscisam fuisse, et per vias occurrentibus, quasi pecuniæ petendæ causa, porrectam.

Rufino autem exstincto, populi lætitia erumpere; et ipse Claudianus in Rufinum iram lætus effundere. Ea vero carmina non possumus non afferre :

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.
Nam quum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, annisque meatus,
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar

(1) *In Rufinum*, lib. I, v. 234.

Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igni
Compleri, solemque suo; porrexerit undis
Littora; tellurem medio libraverit axe.
Sed quum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Relligio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi; quæ numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque Deos (1).

II

Eutropius.

In Eutropium etiam cum Zosimo consentit Claudianus. Sed quod non apud historicum, hoc apud poetam occurrit, id est, ad vivum expressa miseræ Constantinopolis imago.

Eunucho consule, imperii honorum et munerum auctio facta est: audiendus est poeta:

. . . . . Suffixa patenti
Vestibulo pretiis distinguit regula gentes.

(1) *In Rufinum*, lib. I, v. 1.

Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis.
Si Lyciam tenuisse velis, tot millia ponas ;
Si Phrygas, adde parum. Propriæ solatia sorti
Communes vult esse notas, et venditus ipse
Vendere cuncta cupit : certantum sæpe duorum
Diversum suspendit onus ; cum pondere judex
Vergit, et in geminas nutat provincia lances (1).

Proh pudor! rursus Eutropium eunuchi nomine lacessens, exclamat :

. . . . . Præbet miracula lictor
Consule nobilior. . . . (2).

Relicto autem foro, ubi cuncta munera venundantur, in secretum palatium, ubi res imperii aguntur, penetrandum est. Subito ex Asia bello orto, et Phrygia ab Ostrogothis vastata, concilium vocat Eutropius. Pudendum istud concilium et homines vocatos vehementissimis versibus Claudianus depinxit. Eo infamiæ devenerant Romani, orbis terrarum domini! Quomodo autem poetæ verba in dubium revocemus, quum eadem carminibus suis referat, quæ multo ante Juvenalis ?

Vocatum est concilium :

. . . . . Juvenes venere protervi,
Lascivique senes, quibus est insignis edendi
Gloria, corruptasque dapes variare decorum ;
Qui ventrem invitant pretio, traduntque palato

(1) *In Eutropium*, lib. I, v. 201.
(2) *In Eutropium*, lib. II, v. 70, 153.

Sidereas Junonis aves, et, si qua loquendi
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis,
Quæsitos trans regna cibos ; quorumque profundam
Ingluviem non Ægeus, non alta Propontis,
Non freta longinquis Mæotia piscibus explent.
Vestis odoratæ studium. . . .
. . . . Si Chunus feriat, si Sarmata portas,
Solliciti scenæ. . . .
Pars humili de plebe duces, pars compede suras,
Cruraque signati nigro liventia ferro,
Jura regunt, facies quamvis inscripta repugnet,
Seque suo probat titulo ; sed prima potestas
Eutropium præfert. Hosio subnixa secundo
Dulcior hic sane cunctis, prudensque movendi
Juris, et admoto qui temperet omnia fumo ;
Fervidus, accensam sed qui bene decoquat iram.
Considunt apices gemini ditionis Eoæ,
Hic coquus, hic leno, defossi verbere terga,
Servitio, non arte pares : hic sæpius emptus,
Alter ad Hispanos nutritus verna penates (1).

Non bello operam impendunt, sed circi ludis ; versus etiam illa in concione pronuntiantur. Eutropius tamen Phrygiam memorat (2) :

Emicat extemplo, cunctis trepidantibus, audax
Crassa mole Leo, quem vix Cyclopia solum
Æquatura fames, quem non jejuna Celæno
Vinceret : hinc nomen fertur meruisse Leonis.
Acer in absentes, linguæ jactator, abundans
Corporis, exiguusque animi, doctissimus artis
Quondam lanificæ, moderator pectinis unci.
. . . . . .

(1) *In Eutropium,* lib. II, v.322 et sqq.
(2) *In Eutropium,* lib. II, v. 354 et sqq.

Tunc Ajax erat Eutropii, lateque fremebat
Non septem vasto quatiens umbone juvencos,
Sed; quam perpetuis dapibus pigroque sedili
Inter anus interque colos oneraverat, alvum (1).

Hic Leo in Ostrogothos vincendos profectus, in stagnum quoddam cecidit, et terrore exspiravit.

Quæ quidem omnia a Claudiano solo allata redarguere non possumus; sed nihil obstat quin illa vera habeamus; cum cæteris enim, quæ apud historicum leguntur, sunt consentanea; ea autem non potuimus non referre, quoniam Constantinopolis ipsius nos quasi testes et incolas faciunt. Dies erit qua Rufinos suos et Eutropios ipsa Roma habebit; non multo melior Olympius. Num vero Olympium vigentem, Stiliconem autem opibus suis dejectum trucidatumque vidit Claudianus? Nescimus. Certe si post annum 408 vixit poeta, illa cuncta quæ in Oriente vehementer notaverat, in Occidente conspexit; nec jam ei scribendum fuit, nisi mutatis in satiras panegyricis.

Constantinopoli autem barbari victores exitio fuerunt Eutropio; quod quidem exitium divo Joanni Chrysostomo occasio fuit duas homilias (2), optimas sane et nobilissimas, pronuntiandi. In Ecclesiam, quam sæpe lacessiverat, aufugit tamen

(1) *In Eutropium*, lib. II, v. 376.

(2) Sancti patris nostri Joannis Chrysostomi, archiepiscopi constantinopolitani opera omnia quæ exstant vel quæ ejus nomine circumferuntur. Parisiis, 1734, t. III, p. 379.

Eutropius; et acceptum Ecclesia, tot malorum immemor, voce divi Joannis Chrysostomi adversus imperatoris milites tuetur. Pius episcopus, coram Eutropio, asyli columna nixo, orationem habet, et aspecta tantæ magnitudinis ruina, ex audientium oculis lacrymas elicit : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Asylo autem relicto, Eutropius ab inimicis suis capitur; et rursus advocatis fidelibus, divus Joannes de rerum humanarum fragilitate et divitiarum vanitate eloquitur.

In his homiliis unum tantummodo verbum in Eutropium pronuntiatur; memorat enim venerandus orator eum, qui ab Ecclesia servatur, Ecclesiam temeravisse. Nihil tamen aliud in animo habet, nisi fideles docere. Sed etiam quum silet, clamat et accusat, firmatque Claudiani, Zosimi et cæterorum scriptorum accusationes.

Pro certis igitur habeamus quæ nobis de Rufino et Eutropio retulit Claudianus; sine quo nec notum nobis esset quibus miseriis intimæ principum ædes laborarent, nec quibus vitiis fœdarentur indigni illi imperatorum ministri qui se turpissimis voluptatibus tradebant, dum præceps ruebat imperium.

PARS QUARTA.

DIVERSA.

I

De Bello Gildonico.

Nunc duo bella, de quibus duo poemata habet Claudianus, id est bellum Gildonicum et bellum Geticum, singulatim dicenda sunt.

Prius quidem, incipiente Honorii regno, initium habuit. Mauriscus Gildo, ultimis Valentiniani secundi temporibus, Africam in libertatem vindicaverat. Gildo comes erat Africæ, et militum in illa provincia dux; Firmi frater erat, qui in Valentinianum primum arma tulerat; et Maurisci

principis Nubelis filius. Theodosio cum Arbogasto et Eugenio pugnante, auxilia non miserat Gildo, et obedientiam abjecerat ; cujus castigandi tempus non habuit Theodosius ; hanc curam Stiliconi reliquit. Forsan ex Claudiani versibus inferendum est Mauriscum Arcadio blanditum fuisse, et eum decepisse. Facit enim patrem e cœlo descendentem, Arcadioque suadentem ut auxilia Honorio in Gildonem præbeat. Quæ quidem auxilia nunquam præbita fuerunt ; imo Zosimus narrat Eutropium multa pollicendo Gildonem concitavisse (1).

Secundum jam annum Gildo Africam tenet :

> . . . . . Privato jure tenetur,
> Exigui specie fundi, quod Nilus et Atlas
> Dissidet ; occiduis quod Gadibus arida Barce,
> Quodque Parætonio secedit littore Ganges,
> Hoc sibi transcripsit proprium : pars tertia mundi
> Unius prædonis ager. . . .
> . . . . Fretus sociis, jamque ipso principe major
> Incedit : peditum præcurrunt agmina longe ;
> Circumdant equitum turmæ, regisque clientes,
> Quos nostris ditat spoliis. . . . (2).

Ex illa tam brevis Gildonicæ dominationis descriptione non credo multa detrahenda esse. Africa enim semper externæ ditionis impatiens, Gildonis partes sustinebat ; nec mirum est Romam terrore perculsam fuisse. Qui in Africa dominabatur, ille

(1) *De Bello Gildonico*, v. 241 et sqq.
(2) *De Bello Gildonico*, v. 153, 190.

mare Mediterraneum tenebat; quod probaverat Carthago, et mox probaturus erat Gensericus. Africæ autem frumento destituta, et per Africanas naves a terris, quæ eam alebant, sejuncta, Roma fame peribat. Quapropter, quum Claudianus Stiliconem Maurisci victorem cecinit, sine dubio Romanorum plausibus exceptus fuit.

Memorat poeta Gildonis luxuriam et libidines, et a vero certe non abest; sed ideo non minus erat formidandus Gildo. Quum enim Jugurtha imperium Romanum tunc potentissimum terruerit, illique sexdecim annos maximum inde impenderit periculum, a Gildone, qui fessum jam et inclinatum imperium lacessebat, multa et gravissima erant exspectanda. Non hæc intelligenda est ducis infidi rebellio, sed gentis totius in arma pro libertate ruentis.

Maurisci, ut illorum dux, optime nobis repræsentantur hac oratione, quam ad milites habet imperator :

> Non contra clypeis tectos, gladiisque micantes
> Ibitis : in solis longe fiducia telis;
> Exarmatus erit, quum missile torserit, hostis.
> Dextra movet jaculum, prætentat pallia læva,
> Cætera nudus eques; sonipes ignarus habenæ;
> Virga regit : non ulla fides, non agminis ordo :
> Arma oneri, fuga præsidio. . . . (1).

(1) *De Gildonico Bello*, v. 430 et sqq.

Si ex illis versibus detrahemus dicta quædam, in quibus Honorius nimio contemptu nimiisque contumeliis erumpens inducitur, Mauriscos habebimus, quales sunt hodie; et quantum valeant, non nescimus; neque eis mutatus pugnandi modus, sed tantum arma.

Cæterum Gildoni et Mauriscis magnus venit honor; proditione enim petuntur: opponitur Gildoni Mauriscus alter, imo frater ejus, Mascezelus. Zosimus dicit Mascezeli copias fuisse maximas; paucas autem dicunt Paulus Orosius, divus Paulinus et Ammianus Marcellinus; is quinque millia hominum affert. Ipse Claudianus parvas copias misisse Stiliconem narrat, retento ad subita belli exercitu. Propter enim Mascezeli proditionem abs re erat magnas vires explicare.

Gildone victo, in Honorii ditionem Africa rediit. Primi igitur novi regni dies sunt pulcherrimi; a Britannia ad Libyæ deserta, a Rheno Danubioque ad Oceanum integras habet Honorius provincias. Hujus tam prosperæ fortunæ auctor est Stilico; hujus ei tribuenda laus est.

II

De Bello Getico.

Nunc ad barbaros, de quibus jam diximus, redire necesse est. In libro enim de bello Getico plurima inveniemus et utilissima cognitu, ad bellum anno 403 actum pertinentia.

Tantus erat Italiæ terror, ut ad antiquas superstitiones reverteretur. Nempe Claudianus populares collegit rumores : terribilisque prodigii ipse testis fuit Honorius :

> Sed gravius mentes cæsorum ostenta luporum
> Horrificant : duo quippe lupis sub principis ora,
> Dum campis exercet equos, violenter adorti
> Agmen, et excepti telis, immane relatu
> Prodigium, miramque notam duxere futuri.
> Nam simul humano geminas de corpore palmas
> Utraque perfossis emisit bellua costis ;
> Illo læva tremens, hoc dextera, ventre latebant
> Intentis ambæ digitis, et sanguine vivo (1).

Post Alarici recessum potuit Claudianus illud monstrum ut victoriæ prænuntium interpretari : sed veniente Alarico, Italia erat perterrita.

(1) *De Bello Getico*, 249. v.

Hunc barbarum miserat Constantinopolis : ergo quam contumeliose a poeta Arcadius incusatur! Et accusatio ipsius in ore Alarici est, quem ducem Arcadius creaverat, cui Illyriam Illyriæque urbes dederat :

. . . . . Gens robore nostra
Tunc quoque pollebat, nullis quum fideret armis.
At nunc Illyrici postquam mihi tradita jura,
Meque suum fecere ducem, tot tela, tot enses,
Tot galeas multo Thracum sudore parari,
Inque meos usus vertigal vertere ferri
Oppida legitimo jussu Romana coegi (1).

Quis autem Alaricum arceat? Barbarus ille vocem deorum in sacri nemoris secessu audivit :

Rumpe omnes, Alarice, moras; hoc impiger anno
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ad urbem.
Huc iter usque datur (2).

Quis non credat se vaticinas Ecclesiæ Patrum voces audire?

Incedentibus barbaris cuncta ruunt, et Mediolano relicto, Astam Honorius aufugit; hunc sequitur Alaricus, et urbem obsidet. De imperatoris terrore non tacet poeta. Advenit Stilico; sed Addua eum ab urbe dividit; trajecto flumine, trajectis barbarorum castris, generum suum servat Stilico.

(1) *De Bello Getico*, v. 533.
(2) *De Bello Getico*, v. 546.

Non immerito forsan poeta victorem Rheso et Cocliti comparabit (1).

De bello Getico maximi momenti est Claudiani carmen; solus enim imperatoris fugam ad Astam retulit, et ad hujus urbis muros Stiliconis victoriam. Sine controversia Pollentiæ (2) pugnam, cæteris certior, narravit, et ad cæteros judicandos multum contulit. Si Paulo Orosio fidem adhibemus, Pollentiæ non aderat Stilico : quod quidem non est credibile; si Cassiodoro, victores fuerunt Gothi; si Jornandi, victi primum barbari Romanos postea vicerunt : Jornandes autem non fide dignus est, qui in hoc bello Ataulphum pro Alarico accipiat. Paulus Orosius Romanos vicisse non negat; sed post victoriam, inquit, victi fuerunt; cladis autem causas et rationem tacet. Quibus dictis, standum est Claudiano, qui, quamvis Stiliconi faveat, Alanis Alanorumque duci laudem victoriæ tribuit.

Pollentia, quæ supra Astam, septem vel octo leucis interjectis, posita est, quam vero Astæ propiorem dicit Claudianus, relicta, victus Alaricus in Italiam descendit, et ad Apenninos etiam montes accedit. Prælium autem eludit Stilico, sinitque barbaros defessos Alpes petere. Sed quum Alaricus fœdus non servaverit, hunc statim prope Veronam Stilico insectatur, pugnaque felicissima vincit

(1) *De Bello Getico*, v. 635.
(2) *De Sexto consulatu*, v. 202.

Ultima etiam hæc gesta solus tradit Claudianus. Paulus Orosius affirmat barbaros inter se pugnavisse et seipsos profligavisse.

Relatæ igitur a poeta ad Pollentiam et Veronam victoriæ non in dubium revocandæ sunt, nec victori datæ laudes :

> Aspice, Roma, tuum, jam vertice celsior, hostem :
> Aspice, quam rarum referens inglorius agmen
> Italia detrusus eat, quantumque priori
> Dissimilis. . . . (1).

Si quando id Stiliconi exprobratum fuit, quod apertum ad Alpes iter, fugæque viam facilem Alarico dederit, ab illa exprobratione Stiliconem tuetur Claudianus :

> . . . . . : Ignoscere pulchrum....
> Sed magis ex aliis fluxit clementia causis,
> Consulitur dum, Roma, tibi : tua cura coegit
> Inclusis aperire fugam, ne pejor in arcto
> Sæviret rabies venturæ conscia mortis.
> Nec tanti nomen stirpemque abolere Getarum,
> Ut propius peterere, fuit. . . .

Non tantummodo Stiliconem culpa liberat poeta, sed etiam quam sit magna simul et infirma Roma fatetur. Claudianus tōtus hic est. Victor post victoriam tremit, victosque etiam tunc reformidat.

(1) *De Bello Getico*, v. 77.

CONCLUSIO.

Nunc ut nostram commentationem concludamus, breviter recognoscendum est quid de rebus sua ætate gestis dixerit Claudianus, quid in illo certi, quid veri, quid denique ex ejus carminibus historico servandum sit. Claudiano deficiente, adjuvantibus tantummodo qui de Honorio dixerunt scriptoribus, nihil aliud objicitur nostris oculis, nisi imperii infirmitas; lecto autem Claudiano, qui hanc non negat, intelligimus quid robusti in imperio etiam tunc restet, et quasi perpendimus:

1° Non abnuendum Claudiani testimonium, quum urbis Romæ magnitudinem prædicat; illi urbi nec monumenta, nec signa, nec ædes, nec ditissimæ ereptæ fuerunt domus, nec omnia quibus civium vita erat jucundissima et beatissima.

2° Occidentali imperio, barbaris victis et ad fines imperii pulsis, usque ad hanc diem ne una quidem provincia erepta est : Romæ autem, senatus, magistratus, comitia, leges, cuncta debilitata langues-cunt; quæ quidem antiquæ et defunctæ civitatis formæ accommodata, sui desiderium non relinquunt.

3° Viget autem imperialis potestas, quam firmissimam tenuit Theodosius. Potestati deest Honorius, non Honorio potestas. Nondum eo ventum est, ut imperium Romaque servari non possint. Licuit Claudiano imperii salutem sperare.

4° Exercitus quidem ex barbaris maxime constant; hic profecto apparet imperii debilitas; sed exercitus isti vel imperatoris vel ducum in manu sunt; quibuscum multa magna in Occidente agentur, et in Oriente majora. Quapropter poeta, licet in carminibus quid a barbaris ingruentibus timendum sit demonstret, certis nec refellendis argumentis testatur eos vel ab exercitu degenere esse vincendos.

5° In Gildonico bello poeta, cæteris scriptoribus potior meliorque, manifeste ostendit, quod in aliis non invenias, per proditionem tantummodo rem Romanis prospere cessisse. — Sed in Getico bello plura etiam historiæ confert; sæpius enim omnia ejus testimonio nituntur. Quid enim, detracto illo, de hoc bello notum haberemus? Gestam ad Pollentiam pugnam? Quis autem victoriam retulit?

quis victus discessit? De memorabili pugna, quæ fuit Stiliconi æterno honori, unus Claudianus vera dixit, et ante illam commissam, per Claudianum modo, fugam ad Astam, obsidionem hujus urbis et liberationem; postea vero Alarici in Romam incessum, ad Alpes pactum reditum, et, violata fide, prope Veronam barbarorum cladem, et Italiæ salutem accepimus.

Illa omnia tradidit Claudianus, quæ sine eo nos fugerent. Restant quæ de Stilicone, Rufino et Eutropio dixit.

1° Plures de Stilicone, notatis tantum vitiis, scripserunt, quos inter unus beneficia ejus retulit Zosimus. Quum autem ille Geticum bellum non enarret, deficiente Claudiano, multa de Stilicone deficerent; unus poeta omnia affert, quæ ad virum æstimandum sunt necessaria, eumque totum effingit.

2° De Rufino forsan non plura quam cæteri præbet; sed nos Constantinopolim translatos, quid mali iste patrare potuerit edocet.

3° Non alia dicenda de Eutropio; munerum enim auctioni, tanquam sub hasta constitutæ, assistimus; intramus in concilium : hic agit ipse Eutropius, et Eutropii dignum satellitium.

Ne plura dicam, Claudianus brevissimum illud et fere unicum in imperii historia tempus optime

refert, quo prona in ruinam Roma paulisper sistit. Imperium a Theodosio instauratum et a Stilicone servatum canit poeta, et nobis, quale tunc erat, repræsentat. Quam multa in imperio infirma fuerint, ex omnibus rerum scriptoribus discernere facile est; quæ autem etiam tum vigerent, ex solo Claudiano comperimus.

Novissimus Romæ vates novissimos Romæ triumphos cecinit; et ipse extremo Romæ splendore quasi decoratur. Quemadmodum igitur in carminibus Claudiani expressus apparet novissimus ille Romæ perituræ splendor, ita, quum ea legimus, aliquo Romanæ magnitudinis præconio aures nostræ circumsonant.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. jun. ann. MDCCC LIX,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus.
J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis rector,
ARTAUD.

INDEX RERUM

Quæ in hoc libro continentur.

PARS PRIMA. — PROŒMIUM.

Paginæ.

Claudiani vita. 1
Claudiani opera. 3
Thesis argumentum. 4
Scriptores de Claudiani temporibus. 6
Quid historiæ conferant Claudiani scripta. 14
Quomodo utendum Claudiano. 18

PARS SECUNDA. — ROMA.

Urbs Roma. 21
Imperium. 28
Imperator. 38
Stilico. 44
Barbari et exercitus Romanus. 51

PARS TERTIA. — CONSTANTINOPOLIS.

Paginæ.

Rufinus. 58
Eutropius. 62

PARS QUARTA. — DIVERSA.

De Bello Gildonico. 67
De Bello Getico. 71

Conclusio. 75

PARISIIS. — EX TYPIS W. REMQUET ET Cie, VIA DICTA GARANCIÈRE, 5.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Lc 46.90
Quid ad historiam conferat Claudian
Widener Library 004419967
3 2044 085 197 978